

Prologus in hieremias

Postilla fratris Nicolai de lyra super Hieremiam incipit feliciter: adiunctis additionibus dñi Pauli epi burgeni. et replicis Nathe doring ordinis minorum.

Depheram in gentibus dedi te. Verbus propositus scribitur Hierem. j. ca. et dictum fuit sibi a dño: in quo possunt notari quatuor cause huius libri hieremie que habentur premanibus exponendum. videlicet causa efficiens: materialis: formalis et finalis. Causa vero efficiens duplex est. Una principalis. scilicet deus revelans oia in libro contenta. Alia instrumentalis. scilicet sanctus hieremias. qui spiritu sancto dictante scripsit librum istum. Et hec duplex causa efficiens notatur cum dicitur. Dedi te. Ita quod in supposito huius verbi dedi: quod est ipse deus exprimitur causa efficiens principalis. In hoc autem pronomine te: causa efficiens instrumentalis. Et de utraque potest accipi illud quod scribitur Ezechielis. iij. Filius hominis speculatores dedi te domui israel. Ad hunc ponitur speculatores in excelsis ut a longe speculetur: et que viderit fideliter annunciet. et sic fecit hieremias: viderit enim videbit in quodam generali. et plenes in particulari. Causa vero materialis et formalis possunt notari in nomine prophete cum dicitur. Prophetas. Ad cuius intellectum sciendum quod propheta secundum interpretationem nominis dicitur quasi procul fans. quia fatuus seu denudat ea que sunt longinqua a naturali cognitione humana. et ista quatuor ad presens sunt in duplici gradu. quia aliqua sunt hominibus propter suam eminentiam respectu intellectus nostri cuiusmodi sunt divina ad que se habet intellectus noster sicut oculus noctue ad lucem solis. ij. Metaphysice. in ista vero valde longinquum et remotum est a cognitione nostra incarnationis divine mysterium. ex creaturis enim potest homo devenire in cognitionem prime cause que deus est quatuor ad multas eius conditiones. et sic philosophi concluderunt de deo plurimas conclusiones. Similiter natura humana per se accepta non excedit cognitionem nostram: sed unio nature divine et humane in supposito verbi supra modum transcendit facultatem intellectus humani. mysterium autem istud denunciavit hieremias propheta inter alios valde clare. xliij. ca. dicens. Ecce dies veniunt dicit dominus. et suscitabo david germen iustum. et regnabit rex. et sapiens erit: et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur iuda: et israel habitabit confidenter. Et hoc est nomen quod vocabunt eum dominus iustus noster. Hec est auctoritas que ad litteram de christo dicitur secundum omnes doctores hebreos et latinos: ut plenius videbitur domino concedente. per hoc autem quod dicitur. Suscitabo david germen iustum. exprimitur humanitas christi qui factus est ex semine david secundum carnem: ad Romanos. primo. per hoc autem quod subditur. Et hoc est nomen quod vocabunt eum dominus iustus noster. exprimitur divinitas christi clarius ut mihi videtur quam in alijs libris veteris testamenti. quia ubi habemus dominus. in hebreo habetur nomen domini tetragrammaton quod secundum antiquos doctores hebreorum sic est appropriatum altissimo creatori: ut non liceat ipsum nomen de alio dici: prout plenius dicitur domino concedente: quando ad locum illum veniemus. Et quod hieremias ita clare christi mysterium denunciavit propheticè: potest dici de eo quod scribitur Iuce. j. Et tu puer propheta altissimi vocaberis. quia valde expressit altitudinem sue divinitatis: et hec est materia principalis huius libri. Unde dicitur. Sa. super. ix. cap. zacharie: quod universi prophete non sunt locuti nisi de diebus messie: quod est intelligendum de principali intentione eorum. quia de pluribus alijs sunt locuti. Et secundum hunc de humanandus est: subiectum in omnibus libris prophetarum sicut deus est humanatus in evangelijs. quia quod prophete nuntiant futurum evangeliste narrat factum. Sicut enim deus sub ratione absoluta est subiectum in tota sacra scriptura: sic est in partibus eius subiectum sub rationibus determinatis: ut dictum fuit plenius in principio Genesis. Alia vero sunt longinqua a cognitione humana propter sue entitatis et veritatis deficientiam: cuiusmodi sunt futura contingentia de quibus non est determinata veritas apud nos: sed est determinata apud deum. et de talibus est prophetia secundum quod dicit Cassiodorus super psalmum. Prophetia est divina inspiratio: rerum eventus immobili veritate denuncians. De talibus vero erat destructio civitatis et templi et captivatio populi per nabuchodonosor. futura. quam hieremias propheticè denunciavit et scribit in hoc libro intantum quod voluerunt eum propter hoc occidere: secundum quod dicitur. j. xxvj. Iudicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversus civitatem istam. Et hec est materia huius libri secundaria sub nomine prophete designata. Causa etiam formalis huius libri sub nomine prophete designatur. Circa quod sciendum quod duplex est forma libri. scilicet forma tractatus et forma tractandi. Forma vero tractatus est divisio libri per partes et capitula: de qua videbitur in prosecutione libri. Forma vero tractandi est modus agendi qui modus est propheticus describendo divinas revelationes hieremie factas propter quod de ipso potest dici illud quod scribitur Johannis. vj. Hic est vere propheta. Et dicitur vere propheta ad differentiam pseudoprophetarum qui non prophetant ex divina inspiratione sicut hieremias. sed aliquid eorum ex propria fictione propter questum et alij ex revelatione demonum qui sunt mendaces. propter quod false erant in pluribus prophetie eorum. Causa finalis huius libri est utilitas vtilis ecclesie que collecta est ex omnibus gentibus. et hanc finalis notatur cum dicitur. in gentibus. id est ad utilitatem omnium gentium. propter quod de ipso potest dici illud Esai. xlix. Dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terre. ut sit verbum domini ad Hieremiam dicitur. Dedi te in lucem gentium ad illuminandum eos lumine fidei et claritate morum: ut sis salus mea usque ad extremum terre. et hoc denunciatur tunc. quia christus est salus gentium effectus: secundum quod dicitur. psalmus. lxxij. Operatus est salutem in medio terre. id est in iherusalem: que est in medio climatis terre habitabilis in qua operatus est salutem humanam per suam passionem benedictam et resurrectionem et ascensionem in celum: ubi cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum Amen.

Finit prologus.